



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Contra Malignvm Io||hannis Eccii Ivdici-||vm, Svper
Aliqvot || Articvlis, A Fra||tribvs Qvibvs||dam Ei
Svppo-||sitis, Mar||tini Lv-||theri || Defen||sio**

Luther, Martin

[Leipzig], [1519]

VD16 L 4252

Articvlvs Qvintvsdecimvs. Boemos esse meliores Christianos nobis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-32690

ab instanti primo suæ conceptionis ideo meritum hic æquiuoce accipi oportet: sed nec scio, an vnq̄ hunc dixerim. Hoc scio, quod quicquid Christus fecit & obtinuit, nobis fecit & obtinuit, ad implendam voluntatem patris nihil enim sibi quæsiuit. Et hęc sensus, si ab aliquo meorum auditorum dictum est, recte dictum est. Nam, id me in populum concionatum esse, certus sum. Est ergo sensus, Christus merendo nō sibi, sed nobis seruiuit. sicut dicit Isa. liij. Seruire me fecisti in peccatis tuis. Verum, hæc propositio ideo offendit fratres ruditatis, quod ipsi si populum soleant seducere, & ad magna merita cumulanda exhortari maxime, operibus a se doctis & electis. quo faciunt, vt homines ad fuescant quærere quæ sua sunt in deo & propter merum commercium deo seruire. Cum ad exemplum Christi, qui propter nullū futurū lucrum aut meritum, sed propter solam voluntatem dei, ad nostram salutem omnia fecit & nos, non propter vllum cōmodum, debeamus deo seruire nec cogitare, quam magna mereamur, sed quam bene voluntati dei placeamus. Hanc sanam doctrinam, isti infani fratres & pseudo prophetæ non intelligentes, mundum replent erroribus, & infernum damnatis animabus dum hominibus magis inculcant meritoria vocabula, quam diuinæ voluntatis memoriam. Quod Christus nō sibi meruisse dixi: qui nec quid mereri sit, vnquā cognouerūt, neq; cognoscere possunt. Mereri em̄, non est animo merendi bona terre (ita em̄ solent isti mētium deceptores, populū Christi illudere) sed simplici corde, nullo meriti aut præmij respectu, solo gratuito affectu, gratis diuinæ voluntati obtemperare. Charitas em̄ non quærunt quæ sua sunt. merita vero & præmia, sua sponte, sine nostro studio sequuntur, ad obedientiam diuinæ voluntatis.

ARTICVLVS QVINTVSDECIMVS.

Boemos esse meliores Christianos nobis.

Hunc Eccius fortissimè hæresis, derogantem sacro concilio Constantiensi, dicit. Nihil habet pannosus hic & penuriosus theologista, quod iactet, quā concilium Constantiense, quod alias satis dixi, & erratis, & multa non pro hæreticis, nec erroneis statuisse, quæ Eccius hæretica & erronea, de proprio cerebro, pro sua temeritate statuit.

Apostolus hic audiendus est. Tu quis es, quis iudicas alienum seruum? suo domino stat, aut cadit.

In fine articulum de canonisatione sanctorum, non satis expressit ideo nihil possum adhuc dicere nisi quod dicit, ipsum esse scandalosum, & derogatum papalis potestatis sibi traditæ. Valde vellem scire, ex quo loco scripturæ tradita sit potestas papæ, sanctos canonisandi? Deinde, quæ necessitas sanctos canonisandi? Tandem, quæ utilitas sanctos canonisandi? Sed, quia ipse hic transijt, transeam & ego. Nihil dicens, nisi quod mihi non satis placet canonisatio sanctorum, more, quo vidimus multos canonisari, qui optime seipsos canonisauerunt: licet non damnem: Canoniset quisq; quantum vult.

Vidisti (inquā) lector charissime, quam inique & malitiose me Eccius & fratres quæsierint: vt, cum mea calumniari non possent, in

mihī figmenta imposuerunt, vt calumniandi libidinem vt cūq; ex-
plerent. in qua re, si me non prohiberet christiana professio, vtrosque
mirifice pollem tractare. Verum, ne me tam stupidum arbitrentur,
quasi eorum nequicias dēprehendere nequeam, tentabo & p̄sis, non
mea, sed sua venena proponere, & cogitationes eorum reuelare vt ha-
beant tam otiosi criminatores negotium, quo occupentur. Produ-
cam ergo hic per ordinem articulos hæreticos & errores, quos ex
prædictis eorum calumnijs collegi & videbunt, quanto sit difficil-
lius propria tueri, quam aliena carpere.

**Articuli hæretici Iohannis Eccij, & quo-
rundam fratrum, ex illorum asser-
tis & negatis, per Martinum
Lutherū deducti.**

PRIMVS, Nicenum concilium cum quatuor
sequentibus est hæreticum.

SECUNDVS, Aphricanū cōciliū est hæreticū.

Probatur ex Eccianis dictis, quia determinauerunt contra Con-
stantien. concilium, Rhoma, pontificem non esse vniuersalem Episco-
pum super oēs ecclesias nec Ep̄os ex vrbe Rhomana cōfirmandos.

TERTIVS, Orientalis ecclesia fuit plus quam
per mille annos hæretica.

Patet, quia vixit secundū statuta Niceni, cōtra cōciliū Constantien.

QVARTVS, Aphricanæ ecclesiæ, cum Cy-
priano martyre fuerunt hæreticæ.

Quia vixerunt in eodem puncto, secundū Nicenum concilium.

QVINTVS, Augusti, Ambrosii, s. Martinus, s.
Nicolaus sunt hæretici.

Quia nō fuerūt ordinati a Rhomano ponti, cōtra cōciliū Cōstanti.

SEXTVS, Grego, Nazan, Athanasius, Basili-
us Magnus, fuerunt hæretici.

Quia secundum Nicenū conciliū, contra Constantie. egerunt.

SEPTIMVS, Rhomani pontifices omnes, vsq;
in hodiernum diem, sunt hæretici.

Quia approbauerūt statuta Niceni concilij, cōtra Cōstanti. cōciliū.

OCTAVVS, s. Grego, magnus fuit hæreticus
cum suis prædecessoribus.

Quia oblatum a concilio Chalcedonen. primaum recusarunt, &
sicut iuri diuino resisterunt, contra concilium Constantien.

D ij